

DE  
DIFFICULTATE PROPRIETATEM VOCABU-  
LORUM IN LINGUA HEBRÆA CONSTI-  
TUENDI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA.

---

QUAM

ADPROB. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

Mag. JOHANNÆ BONSDORFF,

REG. ACAD. BIBLIOTHECARIO.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

*Publico examini modeste offert*

CAROLUS GEORGIUS EKMARK,

*Stip. Archieb. Wiburgensis.*

In Auditorio Majori die XXII Maji MDCCCV.

Horis a. m. consuetis.

---

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

MAXIME REVERENDO ET PERCELEBRI

DOMINO

Mag. JACOBO BONSDORFF

*S. S. Theol. Licent. & Adj. Fac. Theol.;*

NEC NON

VIRO

PERCELEBRI ET EXPERIENTISSIMO

Doct. JACOBO EDGREN


*Chir. Mag. & ad Leg. Jägerhorn. Chirurgo primario,*

FAUTORIBUS SUIS AESTUMATISSIMIS

*In tesseram animi gratisimi atque venera-  
bundi has pagellas*

*dat, dicat, dedicat*

AUCTOR.



§. I.

**U**t certum est & omnium calculis comprobatum, culturam gentis cujuscumque merito e linguæ suæ vernaculæ metiendam esse habitu, atque vice versa, eo perfectiorem esse linguam, quo propius fastigium eruditionis & perpolitionis attigerint gentes; ita verum quoque est, historiam populorum litterariam non posse condi omnibus numeris absolutam, nisi lingua ipsa philosophice fuerit examinata. Originem enim & progressionem linguarum indagantibus facile est ad intelligendum, earundem culturam arctissimo cum facultatum mentis humanæ incrementis cohærere nexu, & qua ratione animi accreverit cultus, eadem etiam succrevisse linguam. Proinde operæ pretium duxerunt omnes Lexicographi, ipsam vocabulorum rite investigare genesin, quæ fere eadem in omnibus linguis fuisse deprehenditur, ex sen-  
A sua-

fualibus ſcilicet, ſimplicibus & concretis primum or-  
 ta notionibus, ad morales, abſtractas & univerſales  
 ingenti demum translatione proveſta. Atque cum  
 ſermonis ipſius uſus proxime ſequatur genium & in-  
 dolem humanæ cognitionis, immo facultates ipſius a-  
 nimi ita ſint comparatæ, ut inferiores primum & ex  
 ſenſuum imperio pendentibus externorum, dein vero  
 ſuperiores nobilioresque excolantur; quis copiam  
 verborum, ordinemque ſignificatum & univerſum  
 linguæ apparatus, ſine quadam idearum aſſociatione  
 & connexionem, ſine ſenſu & delectu velut confluxiſſe  
 putabit? Quot vero & quales in quacumque lingua  
 fuerint primitivæ ac originariæ voces, aut qualis  
 eaſdem fuerit transferendi lex, certo definire vix  
 patietur implicita gentium antiquiſſimarum hiſtoria,  
 atque rei ipſius abſtruſa indoles; perinde ac in ele-  
 mentis ipſis corporum naturalium eruendis multi  
 phyſicorum fruſtra laborabunt ſagaciſſimorum. Ut  
 ergo in omnibus, jam emortuis, linguis difficillimum  
 eſt negotium primitivas indagare voces, ita qui  
 Linguæ Hebrææ ſtamina, velut retexendo explicare  
 voluerit, multis magnisque laborabit difficultatibus,  
 vixque felicem omnem operæ ſuæ quem optaverit,  
 habebit exitum. Quod cum ingenioſiſſimi viri du-  
 dum ſint experti, neque nobis ſperandum ſit, mate-  
 riam hancce noſtra opera feliciter fore extricatam;  
 ipſis difficultatibus in proprietate vocabulorum lin-  
 guæ Hebrææ conſtituenda, recensendis, venia Lecto-  
 ris, quam ſubmiſſe nobis expetimus, erimus contenti.

§. II.

Quamquam vero præpeditior sit aditus ad Etymologicum linguæ Hebrææ studium, summam tamen ejusdem, & necessitatem & utilitatem nemo non agnoscat, qui rite perpenderit, hac potissimum via gentis ipsius cogitandi & philosophandi rationem, immo culturæ quendam gradum detegi posse; hac via certitudinem omnem interpretationis sacrorum V. T. librorum parari; nec sensum ipsum enucleatum unquam fore, nisi potestas vocabulorum rite definita antea fuerit. Permulti ergo Recentiorum philologorum laudabili in eo enixi fuerunt studio, ut verius linguæ Hebrææ explicarent origines *a*). Fuit vero dudum inter Grammaticos & Lexicographos ipsos ex præjudicata eorum opinione, *verba tantummodo ad primitivorum sive staminum referenda esse classem*, unde *nominum* omnium deduceretur familia, magna oborta atque ab ipsis suppeditata difficultas. Quam autem rite exploserunt opinionem J. D. MICHAELIS *b*) & AURIVILLIUS *c*), magnum ipsum *Schultensium* haud injuria, ejusdem præjudicii, taxantes. Quis enim credat, nomina membrorum corporis

A 2

ris

*a*) *Alb. Schultensium, J. D. Michaelis, Car. Aurivillium, Simonis, Schulzium*, in scriptis suis celebratissimis hanc materiem tractantes, nominasse sufficiat.

*b*) *Beurtheilung der mittel die ausgestorbene Hebr. Sprache zu verstehen.*

*c*) *Dissert. de Primitivis linguæ Hebrææ.*

ris humani, animalium, rerumque per naturam ob-  
 viarum, utpote simplicissima omnemque antegressa  
 actionem, inter derivata esse habenda? Quis notio-  
 nem *lucis, diei, noctis, vespereæ, solis, umbræ, ceter.*  
 postponat ideæ *illucescendi, vesperascendi, obumbrandi,*  
 (ut his exemplis tantum utamur), cum manifestum  
 satis sit, agendi omnem modum referri ad certum  
 quoddam antea cognitum subjectum? Atque hunc  
 genium esse omnium linguarum, hanc genesin & i-  
 dearum & vocabulorum, non modo tuto asserere pos-  
 sumus, sed quoque fundamenti instar, ad difficulta-  
 tem etymologicam satis magnam tollendam, verum-  
 que stabiliendum Lexici adornandi ordinem, quem  
 prævertere adhucdum Lexicographi Arabicæ linguæ  
 solent, ponimus. Sic Golius in Lexico suo Arabico  
*verbum عَرَضَ*, cujus significationes sunt: *adversus oc-*  
*currit, latum effecit, a latere fuit &c.*, pro primitivo  
 habet, a quo derivata vult nomina *عَرْضٌ* *latitudo,*  
*عَرْضٌ* & *عَرْضٌ* *latus, tractus.* Collatis vero horum  
 derivatorum significationibus, quis est quin videat,  
 significationem *lateris* fuisse ceterarum omnium geni-  
 tricem? Cum enim philosophando facile intelligatur,  
 ideam *lateris*, ceteris notionibus priorem in mente  
 humana existisse; nullum est dubium, quin nomen  
*عَرْضٌ* stamen fuerit; præsertim cum nulla adsit litte-  
 ra servilis, quæ derivationis præberet suspicionem.  
 Quod si observasset GOLIUS, in meliorem, quam  
 quo

quo jam congestæ sunt, ordinem, significationes verbi عرض redegisset. Prima nempe significatio sine dubio fuit a nomine deducta: *a latere fuit*; ut vero qui ad latus incedit, interdum hostili animo aliquem persequitur, orta deinde est significatio *adversandi*; Porro quoniam latus est pars hominis latissima, existit notio, *latum effecit*. Eodem modo ceteræ verbi hujus significationes a prima derivari possunt. Est etiam in aliis linguis analogia eadem, ut apud Latinos cognata vocabula, *latus, latitudo, dilatare*, docent. Vitiis vero, quibus laborat GOLLII Lexicon Arabicum, Hebraica quoque adhuc manualia Lexica, JOH. SIMONIS, MOSER cet., obruta apparent. Exemplo sit *verbum* יָתַר, unde, positis significationibus 1) *tendit extendit*, 2) *excelluit*, 3) *reliquum fecit*, derivatum volunt *nomen* יָתַר *Nervus, excellentia, residuum*; quamvis longe probabilius sit, יָתַר esse radicem, cujus significatus primarius est: *Nervus*, quo tendebatur arcus, unde per metonymiam *extensio*, & virium animi intensio, *excellencia*. Si itaque a nomine יָתַר *verbum* יָתַר derivatum volumus, haud difficulter perspicimus causam, cur hujus verbi significationes tam diversæ sint; quarum diversitas, si verbum pro stamine habeamus, nullo modo tolli poterit, sed dubia semper erit, ut quoque originaria significatio abstrusa manebit. Eandem significationum transferendarum analogiam, cujus mentionem nuper fecimus, servavit lingua Græca, ubi a nomine νεῦρον *nervus* verbum νεῦρω derivandum est.

Sed

Sed ne sic tamen *nominum* universam classẽ, utpote primitivam, quin potius verborum magnum numerum eodem quoque, stirpis scilicet originariæ, loco censerì debere, vel nobis tacentibus patet; licet haud a veritate alienum videatur, monente sagacissimo AURIVILLIO Diff. cit. §. VII, Hebræorum Infinitiva, quæ reapse nomina fuere, actiones, passiones, attributa atque relationes denotantia, tanquam radices esse habenda. Utcunque vero hoc dijudicetur, in proprietate vocabulorum constituenda eatenus non est ambigendi causa.

### §. III.

Prima autem, quæ adhuc se obviam fert difficultas studii Etymologici, in eo consistit, quod lingua Hebræa jam emortua sit, ideoque difficillimum sit iudicatu, quænam fuerit ejus originaria indoles & amplitudo. Multarum enim vocum radices jam sine dubio perierunt, cum Sacer codex conscriberetur; & derivatorum, quæ tum aderant, potestas, ignotis staminibus rite definiri non potest. Paucissima etiam residua sunt hujus linguæ monumenta; itaque qui, primigeniam in Hebræorum lingua, vocabulorum potestatem eruere satagit, vix ac ne vix quidem prosperum studii sui expectet eventum. Contra vero alia est Græcæ ac Latinæ linguæ ratio, in quarum utraque, exstat scriptorum magnus numerus, qui omnibus in artibus & scientiis præcepta tradidere, Ingensque superest, non minus Scholiastarum, Criti-



ficorum, Grammaticorumque, quam Historicorum turba, ex illo ipso ævo, quo lingua adhuc vigeat; Ex his vero dignoscendæ linguæ monumentis, omnia ferme defunt in Hebraica lingua; & quamquam dissimulandum non sit, vocabula, sæpius in codice Biblico obvia, posse variorum adminiculorum ope ad probabilem certamque analogiam, syntaxin ac ordinem reduci; semper tamen aqua hærebit in eo, qui exstat, ingenti vocabulorum numero, quæ ἀπαξ λεγόμενα appellare moris est, quorumque non modo origo sæpius obscura, sed etiam significationes incertissimæ sunt, & a plerisque interpretum pro uniuscujusque ingenio & arbitrio varie explicantur. Dandum quidem est, haud raro posse dubias ejusmodi voces & formas, Dialectorum, analogiæ, contextus & veterum Translatorum subsidio, saltim probabili conjectura extricari; non ideo tamen omnis perit de vocabulis longe plurimis dubitandi ansa, multo minus proprietas eorundem habeatur definita. Exempla paucissima adponamus. Forma יָצַח *cantiones* Pf. XXXII, 7. plerorumque Interpretum consensu ad יָצַח *canere* refertur; יָצַח vero Pf. XLVIII, 14. in quo vertendo valde disentiunt Interpretes, (Symmachus enim διαμετρησατε reddit; Vulgatus & Arabs *distribuite*, quam significationem in lingua Chaldaica habet; Syrus vertit *eradicate*, quæ significatio ex lingua Arabica illustrari potest, in qua فسخ & فسح est *Luxare*, ex quo deinde notio *disolvendi* & *destruendi* facile derivatur) ex parallelismo quadantenus admitte-

tere poterit notionem *mensurandi*, *recensendi*, si modo scopus orationis antea fixus fuerit, utrum de Judæis an hostibus mentio putetur facta. Si prius, quod probabilius est, ponatur, sensus haud obscurus; si vero de hostibus (cum Cel. DATH. MICHAELIS SCHULZ), exponatur, ex Chald. Dialecto *dividendi* ideam fortiatur necesse est, quæ etiam primitiva salutaris potest, unde & *exscindendi* & *ordinandi* vis prodierit; Ex hac vero dubia & antiquorum & recentiorum interpretatione, quis confidentius verbi Hebraici nativam explicet indolem? Quanta porro multitudo nominum, res naturæ, animalia, frutices arboresque designantium, in quibus & significatio & originitas penitus latet! Quod neque mirum in Codice Sacro, vetustissimo monumento. Conferantur loca Jes. XIII, 21. XL. 19. & innumera alia, in quibus conjectandi omnem copiam deseruerunt sagaciores Interpretes, Hebræa verba totidem litteris retinenda svadentes.

§. IV.

Secunda difficultas inde oritur, quod notiones physicæ seu sensuales sæpius varii sint generis, adeo ut quævis, jure quodam suo, prima & originaria salutaris queat. Unicuique, linguarum formationis perito facile patebit, physicos significatus fuisse originarios, morales vero & abstractos postea a sensualibus formatos translatosque. Haud difficulter itaque figere possumus proprietatem vocabuli, cujus significatio-

tiones, altera physica, altera moralis sese obtulerint. At multo difficilius hoc erit negotium, si ambo significatus physici sint, nulla tamen ratione cognati, cujus rei exemplum habes in verbo גַּמַּל, *retribuere, maturefcere, formosum esse*. Certo namque dicere nequimus, quænam harum significationum sit primaria; pari enim jure potest idea *retribuendi* ac illa *formositatis* prima salutari. Æque dubium est, utrum *vestis* an *fraus* sit originaria significatio vocabuli בְּנֵד, quamquam major sit probabilitatis species in illa. Certant quoque merito Lexicographi in constituendo primitivo usu vocabulorum חַרֵב *gladii*, & חָרַב *exficari, desolari*, שָׁלַט *dominari*, & אֲשִׁמְלֵהוּ *assimilare*; גְּבוּל *lapidis, aut termini*, ceter. in quibus ad certitudinem quandam vix datur adspirare etymologicam.

Neque semper apparet, quomodo una significatio ex alia oriri potuerit; quod in diversis Hebræorum conjugationibus optime cernitur. Si e. gr. in conjugatione *Kal* fixa jam sit verbi cujusdam significatio, in *Niphal* autem, *Pihhel* aut *Hiphil*, alia plane obtinuerit, difficile erit judicatu, qua via veteres Hebræi, quibus lingua fuit vernacula, verbum ipsum inflexerint, aut veram retinuerint proprietatem primæ Conjugationis. Verbum קִוַּי, quod significat in *Kal* *fastidire*, in *Hiphil* itaque ex analogia linguæ notare deberet, *nauseam movere, facere ut aliquis fastidiat*; præter omnem autem opinionem accipit in hac Conjugatione significationem *evigilandi*. Eodem modo

fit a ירה in Kal *jecit*, Hiphil הורה *docuit*. Quænam ratio hujus fuerit anomalix, quæritur & in omnem disputari poterit partem. Cave tamen hinc credas, omnem interpretationem dubiam reddi & incertam. Etenim fixæ ut plurimum sunt in Hebraismo notiones verborum, quamquam origo eorum & translationis ratio subobscura sæpius fit & ambigua.

§. V.

Tertia difficultas, quæ iis obvenit, qui genuinum vocabulorum in lingua Hebræa sensum exquirere conantur, in ipsa vocabulorum comparatione cum ceteris cognatis dialectis, speciatim Arabica, cernitur. Utriusque linguæ vocabula si comparaverimus, e. gr. פגר & فجر, facile nobis patebit, hæc vocabula cognationis vinculo esse nexa; quare nobis conjectare licet, originariam eorum significationem in utraque Dialecto, vel eandem fuisse, vel alteram alteri proxime similem. Sed significatio פגר est: *viribus sese movendi destitutus fuit*, unde *piger, lassus fuit*; فجر contra *erumpendi, fluendi, prorumpendi* notio vulgo tribuitur, quæ illi fere e diametro est opposita. Eadem ratio est verborum אבה *voluit*, & אבי *noluit*. Quomodo hæc diversitas tollenda? Utriusque vocabuli, in utraque Dialectorum, prima vel sensualis significatio, nunc temporis inusitata, sine dubio, aut eadem fuit, aut altera alteri simillima, & ejus generis, ut e diversis tropis hæc diversitas orta sit; cui vero originariæ significationi detegendæ, nunc laborem

rem frustra impendimus. In Arabismo itaque sæpissime longe alia occurrit vocum ratio, familia & ordo, quam in Hebraismo. Præterea Arabes ipsi in diversas dispescuisse videntur familias, vocabula πολυσχημαντα. Sic e. gr. vox קרב *gladius*, quam a קרב *exarescere* vulgo deducunt Lexicographi, aptius & convenientius derivari posset ab Arab. حارب *exacuere*; verbum vero קרב ex حارب, *perforatus, fissus, desertus fuit*. Quoniam autem vocabula Arabum, dissimili modo pronuntiantur, nonnullis & quidem ingeniosissimis Lexicographis, SCHULZIO, MICHAELIS & EICHHORNIO suspicio oborta est, Hebraicas voces simili diversitate pronuntiationis quondam inclaruisse. Sed est hæc conjectura altioris indaginis, quam ut a nobis dijudicari queat.

§. VI.

Quartam porro difficultatem efficit ingens litterarum Arabicarum varietas, quibuscum Hebrææ voces sunt comparandæ. Quum scilicet Arabum lingua, plures quam Hebræorum, contineat litteras, necesse est, uni litteræ hebræorum respondeant interdum Arabum duæ vel plures. Litteræ enim ה Hebræorum, si forte sono, dum vigeret lingua, diverso, modo molliori, modo duriori, pronuntiata fuerit, respondent Arabum litteræ ح & خ; ut חכם *sapiens fuit* خطف *rapuit*. טו Hebræorum respondet apud Arabes ط & ظ; ut טדיק *justus fuit*, ظلم *umbra*. Quæ

Quæ vero apud Arabes litteræ τ ο ι ς δ , ψ & ω Hebræorum respondent, imprimis confundi solent: τ ω δ respondēt Arabum س س & ش ex. gr. ستر, סתר obtexit סכך, שכך permiscuit, implicatus fuit; τ ω ψ apud Arabes س, ش & ت e. gr. שמע שמע audivit, שפה שפה eminuit, שקל שקל ponderavit; τ ω ψ æquivalere videntur in Arabismo س & ش, e. gr. שבע שבע, satur fuit. שטה, سطا, impetum fecit, insultavit, Hebr. declinavit; Quam vocabulorum Hebræorum, rite cum Arabicis conferendorum, legem haud insulse tulerunt harum rerum periti a). Quum itaque apud Arabes litteræ س & ش τ ο ι ς δ , ψ & ω Hebraicis exprimi soleant, oritur jam magna difficultas, quam mirum in modum auget extraordinaria inter se litterarum unius organi permutatio, cujus unum tantum adferamus exemplum, ex quo pateat, quantum incertitudinis dubiique interdum inde oritur. Hebræorum ד permutatur cum פ & ט sæpius, rarius cum ו e. g. גלב, arab. جلق rasit, סכן כחן, exploravit, شعونة & شعونة præstigiæ. Quibus rebus efficitur, significatum diversitatem esse quam maximam, eosque qui vocabula conferre student, eaque collatione primariam eorum eruere significationem, in hocce peragendo negotio magnis utique & nonnisi difficillime evitandis expositos esse scopulis. Nos saltem insigniores attulimus.

---

a) Cfr. HEZEL, *Institutio philologi Hebræi*.